



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. XIV. Quid contractus societatis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

geat necessitas, v. g. excitandi aut recreandi infirmum, vel si parum ludat ob solam recreationem.

XIV. Si quis ludo tali vetito lucratus fuerit, iuxta sententiam probabiliorē non tenetur ad restitutionem ante iudicis sententiam: quia iura non annullant contractum, nec impediunt acquisitionem dominii, sed tantum concedunt, ut possit repeti. An verò, qui tali lusu perdidit, teneatur postea adhuc solvere, alii negant, ut *Less. hic dub.* s. *Molin. Regin. Fill. &c.* alii affirmant, ut *Azor. Rebel. Val. &c.* apud *Bon. l. c. p. 3. n. 2. v. Dian. p. 2. t. 17. R. 8. & p. 7. t. 9. R. 21.*

XV. Ludere pro psalmo, vel oratione Domini recitanda, non est peccatum, nec irreverentia. *Navar. Rebell. Sanch. Dian. p. 7. t. 9. R. 21.*

#### DUBIUM XIV.

##### *Quid sit Contractus Societatis.*

Resp. Is est, cum aliqui inter se conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, sive fructiveris, ut pecunia, animalibus, industriis, labore, &c. commune aliquod lucrum faciunt; quod, utri & damnum, pro ratione, & rata cuiusque, dividunt inter se, v. *Less. Laym. c. 20. Bon. q. 6. p. 1.* Unde spectando id, quod ratio & iustitia naturæ hic requirit, *resolvuntur hi Casus.*

I. Plus lucrari debet, qui confert pecuniam & operam suam, quàm qui vel pecuniam, vel operam solam.

II. Capitale seu sors, quam quis contribuit, si pereat casu, vel culpa sociorum levissima, contribuen-



buenati perit. Ubi discrimen est inter hunc contractum, & mutuum: quia in mutuo fors data alienatur, & dominium ejus transfertur in mutuatarium, cujus proinde solius periculum ac damnus est, si casu pereat; in societate autem, qui sortem confert, eam non omnino alienat à se, & sicuti commodum ac lucrum ad eum spectat, sic etiam periculum & damnus, *Bon. l. c.*

III. Potest tamen etiam fieri in hoc contractu, ut quis justè servet sortem suam indemnem, & insuper certum lucrum percipiat, si nimirum ad contractum societatis adjungantur duo alii, assurationis, & venditionis, cujus tale exemplum ponit *Laym.* Inis societatem cum mercatore, & contribuis ei 1000. florenos, v. g. spes est, quod is quotannis lucraturus sit 300. cujus lucri dimidium, v. g. jure societatis tibi debetur unà cum sorte; sed quia ad te quoque pertinere deberet ejusdem sortis periculum, ut ipse id periculum in se suscipiat, & tibi sortem assurect, in hujus oneris compensationem, relinquis ei majorem partem lucri sperati, ut scilicet duas partes lucri ad ipsum, & tertia ad te pertineat. Et rursus, quia spes lucri hujus incerta est, idè adhuc partem hanc lucri sperati, nempe 100. florenos in spe, vendis etiam eidem 50. vel 60. v. g. annuis certis, & in re, & sic tandem id lucrum facis, & sortem servas indemnem, v. *Laym. & Bon. l. c.*

IV. Societas etiam in pecoribus validè & licitè instituitur. Et interdum quidem ita, ut tam pecora ipsa, quæ alteri pascenda & nutrienda traduntur, quam emolumenta & fructus, ipsaque detrimen-



ta & damna danti & accipienti communia sint: interdum verò ita, ut pecorum dominium, ideoque etiam periculum, siue casus fortuitus, spectet ad solum dantem, emolumenta autem fructuum, nempe foetus, lanæ, lactis, ad utrumque. *v. Less. hic & Laym. l. 3. t. 4. c. 20.*

## DUBIUM XV.

*Quid sit Assecuratio, & Fidejussio?*

Resp. I Contractus Assecurationis est, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel pro certo pretio, ad eam compensandam: si perierit. Quod si gratiâ fiat, est gratuita promissio: si pretio, est quasi emptio, quâ asssecurans vendit suam obligationem præstandi alteri rem ejus indemnem. Ad ejus justitiam requiritur, ut eventus rei sit incertus utriq; saltem quoad notitiam, quam de eo habent, qua alioqui non ser- yaretur æqualitas, *Less. Bon. d. 3. q. 9. p. 3. Less. lib. 2. c. 28. dub. 4. n. 24.* Unde resolves.

I. Si asssecurans certus sit rem esse in tuto, iniquè pretium petit, & tenetur restituere, *Ibid. Bon. d. 3. q. 9. p. 3.*

II. Si res nondum est in tuto, etsi privata scientia sciat non fore periculum, licere nihilominus pretium ordinarium asssecurationis accipere, dicit *Less. l. c. n. 27.* Quia illa obligatio, ob pericula ordinaria magni æstimatur: & causæ occultæ, quæ periculum minuunt, non imminuunt communem æstimationē. Verum id *Bon. d. 3. q. 9. p. 3. n. 3.* & *C. Lugo d. 31. s. 7.* rectius negant.

III.